



Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai.

1. Disputatio de Potentia in rebus.
2. Disp. de Synonymo et Paronymo.
3. Gymnasium Logicum.
4. Tractatus de Pane edit. 1641.
5. Genethlia sive Natalitia ed. 1642.
6. Delineatio Colloquii inter Valerianum Magnum, Capucinum et Henricum Nicolai.
7. Erklärung der Worte Ephes. IV. 4. secunda editio.
8. Anatome Papismi imprimis Jesuitici.
9. Nathanael Hilgner Predigt bey der Leichbegängniß Henrici Nicolai gehalten.

D. O. M. A.

Gymnaſmatum Logicorum

DIATRIBE I.

DE

NATVRA

ET CONSTITUTIONE LOGICES.

Publicæ Diſputationis loco
ad placidam ſententiarum
collationem propoſita

IN ALMO GYMNASIO
GEDANENSI

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI,
Philoſophiæ Magiſtro & Profeſſore
Ordinario.

Reſpondentis vices tenente

BARTHOLOMÆO HILLIO
Colbergenſe Pomerano.

Ad diem 11. Decembris S.N.
in Auditorio Majori
Horis ab octavâ matutinis.

DANTISCI, Typis RHETIANIS.
ANNO CIↃ IↃ C XXXII.

Pentadi

Nobilissimorum & perquàm Magnificorum Virorum

DN. IOANNI ROGGEN, Burggravio Regio Eminentissimo.

DN. CONSTANTINO FERBERO, Vice-Præsidenti dignissimo.

DN. IOANNI CZIERENBERGIO, Pro-Consuli gravissimo.

DN. IACOBO CONNERT,

DN. IOANNI-ERNESTO SCHRÖER, Senatoribus Reipub. Patriæ meritissimis.

NEC NON

Spectabilibus atq; Amplissimis VIRIS

DN. GEORGIO HÖVEL,

DN. IACOBO HARDERO, Mercatorib. Civitatis Gedanensis spectatissimis & Civibus primariis.

Dnn. Patronis, Musagetis & Fautoribus summâ animi demissione suspiciendis

Reverenter atq; officiose

D. D. C.

Barth: Hill: junior Resp:



Thes. I.

IVdicavit aliquando Anaxagoras *hominem animal Sapientissimum, eò quod manus haberet, ut est apud* Saltzhuber: in refut: Ramosoph: p. 15. *Nos eum ducemus Sapientissimum, qui manu illa Philosophiæ & organo ὀργάνων* Logica *aptè instructus fuerit.*

2. *Eam ordinariis quibusdam discussionibus percursuri partimur præsentē tractationē in* proëminalem *&* doctrinalem.

3. Proëminalis *consideratio exhibebit tria, Rei existentiam, præstantiam, & tractandæ in ordine convenientiam.*

4. *1. Rei,* Logicæ, existentia *probatur argumento* 1. artificiali, *â subjecto Logices, animo hominis instruendo, & objecto, notione Logica instruente.* 2. inartificiali, *â testimonio Philosophantium communissimo, quod tot edita Logicorum scripta testantur, quæ negabat jam suo tempore omnia â se perlegi posse* Cicero, *etiam per duplicatam ætatem, ut notat* Valla in epil: Dial.

5. 2. Rei præstantia *â necessitate, jucunditate, dignitate* cum subjecti, *animi humani,* tùm objecti, *notionis Logicæ,* tum effecti, *judiciosæ ratiocinationis, pulcherrimi ordinis, deducitur.*

6. 3. Ordinis convenientia *ostendit, inter disciplinas notionales & instrumentales, non principales & reales Logicam tractandam esse, Est enim objectum ejus notio secunda, finis instrumentalis, ad benè ratiocinandum directio.*

7. *Fuit Logicæ consideratio* proëminalis; Doctrinalis *est* vel *absoluta* vel *respectiva.*

8. Absoluta *est, quâ absolutè Logicæ natura explicatur. Estq; iterum duplex* nominalis *&* realis.

9. *Nominalis tria exhibebit, homonymian, Etymologian & synonymian.*

10. Homonymia *Logicæ est, qua ea sumitur.* 1. latissime *1. pro habitu rationem aut orationem dirigente. Ita tres disciplinæ Logicæ dicebantur, Grammatica, Rhetorica & Dialectica. Ita Stoici Philosophiam in Physicen, Ethicen & Logicen dividebant.* 2. latè *pro discursu naturali, sic Logicam naturalem dicimus.* 3. stricte *pro habitu discurrendi artificiali.* 4. strictissimè *pro habitu discurrendi ê probabilibus. Ita Dialecticæ æquipollentem ajunt. Ita Logicum problema* Aristoteli *idem quod Topicum, opponiturq; analytico.* V. Weger: c. 1. Log: p. 4.

11. Etymologia *est, quâ Logica derivatur* ἀπὸ τοῦ λόγου, i. e. *ratione, non oratione, Logica enim directrix rationis ejusq; discursus est, non orationis, nisi admodum* remotè & per accidens, *quo modo omnes disciplinas orationis esse dices, quatenus Oratione explicantur & proponuntur. Horsum pertinent quæ habet* Hippius pro: Log: 5.

12. Synonymia *est, qua Logica periphrasticè dicitur, ars, cynosura, oculus rationis, manus Philosophiæ, instrumentum instrumentorum, Epicuro* Canonice, *voce admodum apposita.* Vid. Kecker: t. 2. c. 2. præcogn: Log: *& una voce Dialectica. Hanc æquipollentem esse quidam Peripateticorum negant, pertinacissimè* Zabarella l. 1. d. N. L. c. 9. Regius l. 1. q. 1. Log: *Extat tamen ea significatio apud* Philosophum l. 2. elench: c. 2. & l. 1. Rhet: c. 1. *Quicquid neget* Carpentarius. *Et alias in Philosophorum Lyceis solita est.* V. Scheib: d. N. L. c. 1. n. 2. *Nec est ut ob voculæ alicujus usum altercatio cum jurgio & lite instituatur, quod animalium ad proterviam abjectorum est propriũ.*

13. Fuit

13. *Fuit* nominalis *consideratio. Sequitur* realis. *Quæ definitionem, divisionem & affectionem exhibebit.*

14. *Definitio Logicæ hæc esto:* Logica est habitus instrumentalis bene ratiocinandi.

15. *In definitione videndus 1. conceptus latior, seu genus. 2. strictior s. differentia.*

16. *Genus est* habitus instrumentalis. Habitus *in genere est firma qualitas facilitans potentiam ad operandū. Et communiter dicuntur* duplices *habitus,* principales, *ut intelligentia, sapientia, scientia, prudentia & ars.* Vide Arist: 6. Ethic: c. 3. *Et* instrumentales, *ut Rhetorica, Grammatica. His annumeranda Logica.*

17. *Dicimus notanter,* Logicam habitum instrumentalem esse, non nudè, instrumentum: *Hoc enim tantùm relativum quid est; at Logica etiam absolutè spectari potest, quà est firma qualitas animi discursum perficiens; quæ post ad altas disciplinas adhibetur, unde instrumentum fit. Vt benè Dn.* Hesselbein: c. 1. Th: Log: q. 4. *Ipsæ notiones secundæ à Logicâ suppeditatæ propriè sunt instrumenta, nam illis proxime utimur ad ratiocinandum, Logica habitus fingens illa instrumenta est, ut benè* Hippius q. 4. Log: Kecker: tr: 1. c. 2. præco: Log: q. 4. Conf. Zabarell: l. 1. d. N. L. c. 10.

18. *Cæterum an* genus Logicæ *ex aliquo quinq; habituum* th. 16. *enarratorum desumi possit, anceps & diu magnum inter Logicos est prælium. Qui* intelligentiam *aut* prudentiam *ejus genus faciat, adhuc quod sciam, nemo repertus est.* Sapientiam *eam esse* Ramus *probare nititur* l. 1. Sch: Meta. c. 2. *ex conditionibus Sapientiæ ab Arist: requisitis. Sed sapientia occupatur circa objectum reale, ut insinuat* Arist: l. 1. Meta: c. 2. *Logica notionale tantùm. Ergò.*

 19. Scien-

19. Scientiam *genus ejus assignant è Scholasticis ferè omnes:* DD. Conimbricenses, Toletus, Ruvius, Morisanus, Scotus, Occam, Fonseca, Bacconitanus, Flandria, Cerbinus, Canariensis, Rapinæus, *alij apud* Weger: q. 1. Org: Aris: §. 1. *Quibus è recentioribus assentiuntur* Scaliger, Rhoëdus, Hesselbeinius Suaretz, Casus, *&c. Contrà:* 1. Omnis *scientia habet objectum reale, & tractat notiones primas. Logica non.* 2. Scientia *elicit cognitionem speculativam. At Logica practicam, hujus enim cognitio ad operationem judicij practici & discursus dirigenda, ut, ita esse definiendum, argumentandum. &c. Plura* VVeger: c. l. Scheibl: c. 1. int: Lo: n. 18. Regius l. 1. Log: c. 1. q. 2. Hipp: qu: 4. Log: Zabar: l. 1. d. N. L. c. 3.

20. Artem *genus faciunt* Alexander, Boëthius, Monlorius, Simonius, Anton: Mirandulanus, Ramei *ad unum omnes, præeunte* Ramo l. 1. Dial: c. 1, & 30. *Quem è Peripateticis sequuntur* Pacius, Scaliger, Hildenius, Agricola, Goclenius, Scheiblerus, Keckermannus, Finckius, Crusius, Sluterus, Alstedius, Rhenius, Zanakius, Sagittarius, Valla, Danhaverus, Timplerus, Taurellus, VVasius, *alijq́: Contrà: Omnis ars relinquit* opus 1. reale. 2. externum & in sensus incurrens. *Probatur inductione omnium artium, quæ citra controversiam tales sunt. Vide* Dn. Greberum d. 2. Log: Corol: 1. Et in his duobus membris sistendum. Quicquid sit de cœtero, de opere permanente, ut calceus, vel cessante, ut navigatio: quicquid de materiato, ut vestis, vel immateriato, ut saltatio, quicquid de crasso vel subtili, opere vel operatione, immanente, ut saltatio, vel in aliud subjectum transeunte, ut pictio: *Modo opus sit reale & in sensus incurrens, est vera artis operatio.*

Et hæc

Et hæc est illa effectio quam 6. Eth: c. 4. *in artis definitione requirit Philosophus. Nam* ita sumenda vox effectionis, ut per eam ars sufficienter distinguatur à sapientia, scientia & cœteris habitibus. *At per effectionem qualemcunq;, ut interna cogitatio, notionis effectio, analogica operatio, hoc non fit. Nam & sapientia, scientia efficit v. g. speculationem. Ergo ista analogica effectio nil est ad nostram Andromachen. Per illas analogias Logicam non artem solum, sed & scientiam, & facultatem, & instrumentum, & quid non dices. Vid.* Bartholin: janit: d. N. L. 9. 51. 52. Zabar: l. 1. d. N. L. c. 8. Et revera illis analogiis in generibus ludere, ubi propria suppetunt, est patientiæ Philosophorum illudere. *Nec ex alienis locis* ut 1. prior. c. 25. l. 2. prior: c. 8. *hæc res est probanda, ubi* παχυλῶς *& obiter de ea agit Philosophus, sed* ex 6. Eth. c. 4. *Ubi propria artis & ejus definitionis sedes. Secus & Philosophus locum intervallum vocat.* cum Platone, l. 4. Phys. c. 2. *At aliter in propria sede.* 4. Phys. c. 4. t. 30.

21. *Verum est naturæ & artis discrimen à* Philosopho 2. Phys. c. 1, *traditum, quod* natura semper sit principium internum, ars externum. *Sed tu verè explica. Non* subjective, a. objective, *q. naturale agens tantum in se ageret, nam ignis in lignum, cælum in terram agit naturaliter,* sed effective & radicative, *i.e. radix & principium operandi semper est ab ipsa essentia subjecti, non externè quodam indito. Hoc clare insinuat* Philosophus l. c. t. 12. *Ita ars semper est principium externum, i.e.* radix operationis semper est aliquid externe rei inditum, nō âb ipsa essentia subjecti manans: *Non quasi artifex nullo modo in suum suppositum agere possit. Sic Medicus, saltator, citharœdus in semet agunt. Plura in* συζητήσει, *si occasio dabitur, Vide interea* Cl. J. Mart: C. 1. d. 8. q. 6. Perer.

l. 7. d.

l. 7. d. nat: c. 3. Taurell. l. 3. in Cæsalp. q. 1. n. 39.

22. *Aliena est exceptio* Crusii disp. 1. q. 2. *Artis opus dici externum, quod non sit de essentiâ subjecti. Sic & scientiæ & sapientiæ operatio externa erit, non enim est de essentia subjecti, v. g. hominis. At nusquam ita* Aristoteles. *Ridicula est tergiversatio* Alstedii, *Logica, ait ille*, l. 1. Log. harm. c. 1. §. 2. *non efficit, sed præbet noemata. Eho, inquam ego, Logica est ars. ex tua hypothesi: Et ars est habitus effectivus, etiam ex tua hypothesi.* p. 2. Encycl. c. 6. *Ergo Logica efficit. Conf.* Scaliger: ex 307. s. 23. *Porrò si Logica præbet notiones,* aut *de suo præbet, & tum primò efficiet eas,* aut *de alieno, at undenam? Eritne Logicæ alia Logica? & ubi tandem subsistes? Omnium ineptissima* Zana Kij est elusio, l. 1. c. Cl. J. Mart. s. 1. c. 1. q. 1. *Logicæ etiam opus externum attribuentis ex sinistro loci* 2. Phys. c. 1. *intellectu.*

23. *Fuit* genus *Logicæ: Sequitur* differentia, quæ bene ratiocinandi verbis absolvitur. Τὸ bene *notat non naturam, aut ingenij acumen, sed artificium, valetq́ idem ac artificiosè, judiciosè:* τὸ ratiocinari, *sumitur non strictè, ut syllogisationem tantùm notat, sed latè, ut definitionem, divis: generis, speciei elucidationem & quamcunq́ operationem Logicam complectitur. Reliqua, ut notionum secundarum effectio, ut medium in fine, & veritatis assecutio, ut finis extremus & externus in proximo, bona ratiocinatione, compræhenduntur.*

24. *Fuit* definitio *Logicæ: Sequitur* divisio. *Quæ varia apud authores, & sæpe inepta atq́ ridicula.* Rectè dividis Logicam in partem communem & propriam: Rectè item in tres partes, sim: app: compositionem, & argumentationem. *Et pulcherrimè has duas divisiones sibi subordinabis, ut primo Logicam in communem & propriam dividas, & communem post in datas tres partes subdividas: pro-*

das: pro-

das: propriam quoq; in tres partes herciscas, secundum triplicem materiam, Apodicticam, Topicam, & Sophisticam.

25. *Reliquæ divisiones* vel non accuratæ *sunt, ut* Rami *in inventionem & judicium apud* Cl. l. Mar. C. 1. qu. ill. d. 4. q. 1. Kecker. tz. 3. præ. Log: c. 2. q. 10. *quicquid contradicat* Scheibl. c. 17. int. Log: n. 12. Hospiniani *in elementarẽ, constructivã, inventivã*, ap. Hippiũ q. 6. Log: Philoponi *in Analyticam & Topicam* ap. Regium l. 1. q. 5. Log: vel *temerariæ unius rei secundum alium & alium respectum multiplicationes, ut in utentem & docentem apud* VVegerum q. 1. organ. n. 3. *in artem & artis usum, apud* Regium q. 5. l. 1. vel *vocis explicationes sunt, non rei divisiones, ut in naturalem & artificialem apud* Bartholin. jan. d. N. L. n. 204. Conf. Keck. l. 1. Met: plen. c. 4. *abstractam & concretam apud eundem* c. l. n. 205. *generalem & Criticam s. applicatam apud* Alstedium. l. 10. Log. harm. c. 1.

26. *Fuit* divisio *Logices: Sequitur* affectio. *Earum plures sunt, quas sequentibus explicamus.*

27. Prima Logicæ affectio est intentionalitas. Logica est disciplina notionalis non realis: *non* formaliter, *quasi ipsius essentia esset notio quædam secunda, est enim habitus, de prædicamento Qualitatis, qui est Ens reale:* non subjective, *quasi non esset in reali subjecto, est enim in animo hominis:* non directiue, *quasi notionem aliquam secundam dirigeret, dirigit enim mentis discursum, qui actus realis est: & his respectibus Logica est realis.* Vide Weger. c. l. q: 6. n. 12. *Sed* objectiue, *quia objectum ejus, quod tractat, non est ens reale, sed notionale,* & effective, *quia non reale quid, sed intentionale efficit, notionem secundam, ratiocinationi judiciosæ inservientem.*

28. *Resultat ex intentionalitate illa* objecti Logici qualitas, *quæ intentionalis, per dicta. Variæ alias de objecto Logicæ altercationes, ut patet* è Cl: J. Mart: C. 1. qu. ill. d. 3. q. 1. Scheiblero c. 1. int: Lo: n. 43. Bartholino jan. Log. c. 1. n. 93. 94. Regio q. 3. Log. Hippio q. Log. X. VVegero q. 6. & 7. orga. Fabro q. 5. de nat. Log.

29. *Nos ita procedimus, ut* 1. distinguamus *inter* subjectum *Logicæ, quod est illud, cui Logica inhæret, animus hominis, &* objectum, *quod est illud, quod Logica tractat s. considerat. Hoc 2. Dividimus* in objectum materiale, *s. perfectionis, quod est omnis res Logico ad disceptandum proposita: &* formale, seu tractationis, operationis, & considerationis, (*latè,* Vid. Scheibl. c. 1. int. Lo. n. 47.) *quod est notio secunda Logica. Quicquid n. in Log: proponitur, est notio secunda Logica, ut inductione patet.* Conf. Scheib. c. I. n. 59.

30. *Hoc objectum non est* 1. finis Logices, *ut nonnulli volunt, sed medium ad finem ducens, sicut corpus naturale in Physicis non est finis Physicæ, sed objectum ad finem ducens: Finis disciplinarum involvitur in objectis, non explicatur: non est* 2. nudum medium & instrumentum ad finem ducens, ut Morisanus prol. 4. Log. vult, *nisi certo respectu, finis nimirum, i. e. judiciosæ ratiocinationis, quam notio Logica intendit producere: At hoc non obstat quò minus possit esse objectum, ratione considerationis & tractationis, quæ de eo est in Logicis. Vt in simili medicamenta & objecta Medicinæ dici possunt, & media ratione finis Medicinæ, sanitatis, quod est simile* Morisani. *Non* 3. operationes mentis dirigibiles sunt statuendæ objectum, *cum eodem, sed subjectum potius informationis & perfectionis. Hæ n. sunt quæ per notiones secundas ad finem Logices, legitimam ratiocinationem deduci & perfici debent.*

31. Secunda affectio Logicæ est unitas. Logica est una disciplina. *Quia scilicet tractat unum objectum formale, etsi sub eo multa materialia comprahendantur. At disciplinæ distinguuntur* per objecta formalia, non materialia. Vide Tolet. q. 3. proëm. Orga.

32. Tertia affectio est finis nobilitas. *Finis Logicæ est benè, i.e. judiciosè ratiocinari.* per th. 23. *Alij benè differere vocant.* Vid. Scheibler. in. Log. c. 1. n. 95. *Et ulterius bene ratiocinando discursum mentis nostræ dirigere, ne exerret ille, sed semper verum assequatur. Quæ veri assecutio* extremus & externus, *Logicæ finis est, sicut* internus & proximus, *legitima ratiocinatio. Qui & in potestate ipsius habitus est, & proxime ex operatione Logica elicitur, & eo accepto Logicus habitus, quod internè intendit, habet.*

33. Quarta affectio est ordinis qualitas. *Logica* synthetico *ordine est conscripta, quia incipit à simplicibus & descendit ad magis composita, quod est proprium ordinis synthetici. Nil obstat, quod sit habitus practicus. Praxis enim hæc generalis est: & alioquin adhuc peculiare quid est cum Logica, quam cum cæteris practicis habitibus.* Vide Scheibl. c. 17. int. Log. n. 21. Hippius qu. Log. 8. *ad contrarium inclinat.* Cl. J. Mart. d. 11. pro. Phil. q. 1. *Aristotelem in l. d. interpr: syntheticum, in Analyticis analyticum ordinem adhibuisse putat.* Hodiernæ Logicæ ordine compositivo sunt conscriptæ.

34. Quinta affectio est Generalitas. *Logica est generalissima disciplina, i. e. Cujus termini non in naturalibus tantum procedunt, sed & supra naturalibus. Vnde syllogismo omnes facultates utuntur, etiam Theologia.* Vide Scaligerum ex: 1. f. 3. Cl. J. Mart. d. 1. probl. Phil. q. 1. Dn. Kesler. Log: Phot. p. 17. Kecker. t. 1. c. 3. præ.

Log: *Vt admodum insulsi sint, qui negant, terminos Logicos ad divina applicandos: Salva semper rerum divinarum eminentiâ. Tollerent eadem operâ syllogismum ê rebus divinis & viderent, quo pacto fidē nostram contra adversantes modernos defenderent. Quamquam sibi ipsis repugnant, dum subinde ad syllogismum ut Theij ad pulchram Abderam, confugiunt.*

35. *Fuit* absoluta *Logicæ consideratio: Sequitur* respectiua, *quà Logica consideratur, ut cum alys disciplinis confertur. Hæc tria explicabit,* Logicæ necessitatem, *supra cæteras disciplinas* nobilitatem, & differentiæ *â cæteris disciplinis* realitatem.

36. *In collativa Log. consideratione primum est* necessitas. Logica est necessaria, *non absolute, sed hypotheticè seu ex suppositione finis & necessitate expedientiæ, judiciosæ ratiocinationis, quod ex* conditione subjecti, *quod instruit, mentis humanæ,* objecti, *quod explicat,* finis *quem generat, colligitur. Vide* Fabrum q: 8. proem. Log. Ruvium q: 1. proem. Morisan. prol. 8. Log. Keck. t. 1. c. 3. præ: Log: Alsted l. 4. Encycl. c. 10. *Verum est, quod vulgo dicitur, Qui Logicam nescis, effosso es lumine Cyclops.* Cl. J. M. C. 2. d. 6. q: 8. *Epicurus Logicæ rudis fuit, eoq; multa ineptissime conclusit.* Muretus l. 11. V. L. c. 16. *Paracelsus Logicam Medico noxiam & lumen naturæ impedire ait.* V. Cl. Sennert. de Ch. cons. c. 4. *ineptè & contra Galenum.* V. Cl. J. Mart. d. 1. Probl. Phil. q: 1. *&c.*

37. *Secundum est,* Logicæ supra alia nobilitas. *Quæritur hic* 1. An Logica mente præstantior? *Non, qua mens substantia, Logica accidens, sic enim semper substantia præstantior accidente: Sed qua mens deficiens & dirigenda, Logica perficiens & dirigens: Sic enim semper dirigens, quà tale, dirigendo est præstantius,* V. Sagittar. C. 1.

qu;

qu; Illust. dec. 2. q. 4. II. An organon Aristotelis perfectissimum Opus Logicum? *Ita, quà ab eo perscriptum est, non quà ad nos delatum est, sic enim multis caret, ut* Syllogismo hypothetico, ordine, *&c.* Vid. Keck; tr. 3. c. 1. q: 2. præ; Lo; Fabrum q; 9. proem. Log. III. An Logica cœteris disciplinis Philosophicis præstantior? *Realibus non, benè instrumentalibus, ut Rhetorica, Grammatica, Poëticâ, &c.*

38. *Tertium est* Logicæ â cœteris discplinis differentiæ realitas, *De hoc tria.* I. Logica verè differt â Philosophia, *h.e. non est pars ejus, si Philosophiā accuratè sumas pro rerum scientia: Secus si late, pro qualicunq; scientia* V. Scheibl. c. 1. in. Lo. n. 38. Cl. J. Mart. C. 1. d. 1. q: 4. Fabrum q: x. Sluterum syncr. c. 3. t. 4. 5. 6. Regium q: 6. de nat. Log. II. Logica differt á Metaphysica realiter. *Negat dn.* Hesselb. Th. Log. c. 5. q. 2. *Falsò. Disciplina realis & notionalis differunt realiter, quia habent objecta formalia realiter distincta. At Methaphysica est realis, Logica notionalis.* Vide Regium q. 7. d. N. L. III. Logica differt á Poetica & Rhetorica realiter. *Ad negantem inclinat* Zabarella l. 2. d. N. C. 16. 17. 19. *Falsò. Habent enim objecta formalia & fines realiter distinctos, Logica notionem secundam Logicam, & finem judiciosam ratiocinationē, Rhetorica notionem sec: Rhetoricam, & finem ornatam Orationem. At objectis & finibus discernuntur disciplinæ.* Plura Regius c. l. Kecker. tr. 3. præ. Lo. c. 2. q. 9. Timplerus l. 1. Log: c. 1. q. 10. *Et hæc de absoluta & respectiva Logicæ consideratione sufficiant.*

PARADOXA.

1. Nemo unquam vidit hominem.
2. Non Ens potest esse Ens.
3. Substantia & est genus & species, Et substantia est genus, sed non species, Iterum substantia est species sed non genus: Contrà, Substantia nec est genus nec species.
4. Omne mendacium est verum.
5. Christiani sunt ἄθεοι.
6. Immortale aliquid esse & mortale simul, nihil prohibet.
7. Potest homo aliquid separare, Quod DEUS non potest, salva omnipotentiâ.

ADJECTANEA.

Periculosè dicitur in divinis, Tres esse creantes, tres justificantes: Ineptè tres æterni. Quod risit quidem *Erasmus*, sed qui melior fuit Philologus quam Theologus. Quanquam nec istud quidem magnopere, si quid *Mureto* credendum. *l. 12. V. L. c. 16. 17.* Omnium periculosissimè tres causæ creationis sociæ dicuntur, nisi admodum ambiguè & â Philosophorum mente alienè loquaris.

Quisnam Achasveros Estheræ? *Esth: 1. v. 1.* Vulgo Xerxen fuisse putant. Ego nullum Persicorum Regum fuisse censeo. Fortasse

Medus

Medus ille, cujus mentio *Tob: 14. v. 17.* fuerit, Si temporis supputatio sibi constet.

Quid acervus Mercurii. *Prov: 26. v. 7.* Postulanti in discursu dicetur.

Bacchus Cur Veterib: pictus Cornutus?

Quid ignes Palladis apud *Propertium l. 4. eleg: 4.* Negat *Lipsius* eos vel fando auditos esse in authoribus. *l. 2. V. L. c. 8.* Ideò legendum putat pallidus. Meminit tamen eorum *Statius l. 2. Thebaid: cis fin.* Vbi de Pallade loquens, *Pervigilemq;* ait, *focis ignem longæva Sacerdos Nutriet arcanum nunquam inspectura pudorem.*

Quî Ægyptia Lingua dicatur ignota Hebræo. *Ps: 81. v. 6.* Cum descendat ab Hebræa linguâ?

Eleganter *Thomas* ita: Etsi sensus deficit, ad firmandum Cor sincerum, sola fides sufficit.

Quod pulcherrimum dictum nostræ
disputationis
CORONIS ESTO.

Ad Dn: Respondentem.


Vod sacer arcanis codex habet omne figuris,
Nunquam nî Logica quis ratione, sapit.
Nemo nisi Logico prius est exercitus agro,
Eunomiæq; potest enucleare locos.
Nemo, nisi Logicæ tenet arma reciproca serræ,
Pro populo rectè verba secanda secat.

Ergo

Ergo, HILLI dulcis, tibi dum maturior ætas,
Incepta Sophiam ſtrenuitate colas!
Sic eris & patri quondam patriæq; ſaluti,
Et fors, in quo nunc munere, fauſtus eris.

amicitiæ ergo f.

Jacobus Braſchius Cöſlino Pom.

ALIUD.

DIvina eſt Logices verè natura diſertæ;
Optima nam ſtatuens peſſima quæq; fugat.
Cumq; ſit in cunctis rebus laudabilis uſus
Illius, cuivis utilis eſſe poteſt.
Iccircò defendendam qui ſuſcipit illam
Sedulus, egregiè, ceu reor, ille facit.
Tu quoniam facis hoc HILLI, non deêrit, ut inde
Heus inſigne tibi promereare decus.

Dn. Reſp. contubernali ſuo amantiſſ. benivolentiæ declarandæ ergo appoſuit

Johan: Dicmannus, Anclamo Pom.

ALIUD.

Nôſſe rei Geninm, de re ſentire quod eſt res
Contanti facile eſt: Ignarus ſudat in illâ
Nè quidquam, vacuas labor omnis migrat in (auras.
Ergò rem præſtas dignam te, BARTHOLOMÆE,
Qui Logices Genium perveſtigare laboras.
Macte ardore flagrans Sophias inſiſte labori,
Adverſasq; ſtrophas propelle viriliter. Inde
Gloria virtutem comitans te magna manebit.

Honoris, amoris E. apponebat

Paulus Schultzius Daberâ Pom.

FINIS.



